



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

etiam vocantur mancipia, quasi à manu captione.

497. Hic autem servitutis rigor conventionem antiquissimam sublatum jam est inter Principes Christianos, ita nempe, ut præcisè jure belli (quidquid sit de aliis causis, de quibus Lugo disp. 6. sect. 2.) nequeant captos redigere in servitutem; de aliis modis comparandi dominium in servos dicemus infra; nunc verò agimus de dominio, quod ipsis servis competere potest; certum quidem est, eos retinere jus suum in vitam, & membra, ita nempe, ut si in his lædantur à Dominis, fiat contra justitiam, quidquid de Jure Civili veteri sit, quòd servi subiciebant se Dominis quoad vitam, & necem; hinc est, non posse Dominum aburi absque injuria corpore servi, seu ancillæ invitæ, neque illam constituere, neque servum, aut ancillam prohibere, ne matrimonium ineant, ut latè docet Sanchez l. 7. de matrim. disp. 21. & notat Lugo disp. 3. sect. 2. quòd possit aliquis se venundans in servum obligare se specialiter Domino ad non contrahendum matrimonium, & tunc illicitè contrahit, quamvis validè.

498. Certum etiam est, hujusmodi servos retinere jus in honorem, & famam, unde nec Dominus potest remittere aliis infamationem servi sui, neque absque injuria servum infamare, quòd si infamer, tenetur restituere; idem est à fortiori de bonis spiritualibus; in his enim servus non subicitur Domino; atque adeò patietur injuriam ab illo si per vim, aut fraudem inducatur ad peccandum, vel lædatur in aliis animæ bonis. Nec obstat, quòd absque licentia Domini servus nequeat fieri Religiosus, id enim non ex eo, quòd directè Dominus id impedit, fiat quia Ecclesia noluit acceptare professionem Religiosam, sicut neque promotionem ad Ordines sacros servi cum præjudicio Domini absque illius licentia, eò quòd sic notabiliter imminueret ipsius jus in obsequia, quæ servus in Religione existens exhibere non posset. Tota ergo difficultas reducitur ad bona fortunæ, circa quæ duæ sunt sententiæ oppositæ, prima asserit, omnino esse incapaces domini, ita Lessius, cui valde adhæret Lugo; secunda ait, quòd licet de antiquo rigore legum essent incapaces domini, at de facto rigorem illum mitigatum jam esse, ac proinde posse aliquale dominium obtinere, ita Molina Tom. 2. disp. 38. Sanchez, & alii.

499. Affero 4. quamvis attento antiquo rigore legum servi omnino essent incapaces domini, at legibus servitutis aliquantulum mitigatis per legitimam consuetudinem possint servi in aliquibus casibus dominium obtinere. Probatur: servitus ista introducta est jure positivo, ac proinde est abdicabilis, vel in toto, vel in parte pro libito Domini; atqui ex mitigatione legum habita per legitimam consuetudinem servitus partim ablata, & abdicata est; ergo

quoad illam non manent servi, ac proinde possunt acquirere jus proprietatis; Probatur mi. quia per legitimam consuetudinem acquirunt primò servi peculium consentiente Domino; secundò, si ex hoc peculio aliquid lucrarentur, tertio, si quid acquirant laborando ultra id, quòd Dominus præscripsit, quarto, si quid sibi subtrahant ex his, quæ sine Domini incommodo possunt consumere, quinto, si quid servo donetur, aut legeretur sub conditione, quòd ad Dominum non veniat; sexto, ut si quid servo detur, ut se redimat; septimò, si quid acquirunt pro illatione injuriæ sibi in membris, honore, & fama illatæ, quòd genus honorum non cadit sub dominio Domini; & idem videtur dicendum ex eadem ratione de lucro ancillæ ex turpi usu sui corporis. Confirm. Aliquæ leges præscribunt modum, quo servus potest redimi à Domino, sic l. vii ff. de Judic. datur servis actio contra Dominum his verbis; si dicant se suis nummis redemptos, & non manumissos contra placiti fidem; ergo supponunt, quòd de facto possint habere jus proprietatis circa aliqua, quibus possint se redimere; cæterum hæc melius intelliguntur ex solutione objectionum.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

500. Obijcies primò. Bona Religionis, sive Religiosæ communitatis specialiter Christo conferuntur; ergo Religiosa communitas nullum habet circa illa dominium, sed tantum administrationem. Confirmatur. Si Religiosa communitas haberet dominium, vel esset plenum circa mobilia, & immobilia, vel esset semiplenum circa fructus congruos ad sustentationem, sed neutro modo haberet dominium, sed tantum administrationem; ergo &c. Probatur min. si haberet dominium circa fructus necessarios ad congruam sustentationem, casu, quo Religio insumeret ea, quæ sufficiunt ad congruam sustentationem intimam, vel mediam, & non summam, excessus ille usque ad summam fieret communitatis proprius, possetque communitas de illo disponere tanquam de proprio, dando excessum illum cuicumque voluerit; sicut id facere possunt Beneficarii; atqui Religio adhuc in comuni hoc facere non potest; ergo &c.

501. Resp. dist. ant. sunt specialiter Christi Domini tanquam ipsi immediatè donata, nego tanquam donata ipsius speciali imagini, conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia ut constat bona, quæ Religiosis conferuntur juxta intentionem Fidelium secundum Ecclesiæ doctrinam, se habent ad instar illorum, quæ conferuntur pauperibus, cumque illa, quæ conferuntur pauperibus, non apponantur immediatè sub speciali Christi Domini dominio, ita etiam ea, quæ

quæ Religiosis conferuntur; unde sicut pauper manet cum dominio proprietatis eorum bonorum; ita etiam Religio manet cum dominio proprietatis bonorum, quæ ipsi conferuntur, cum hoc tamen discrimine, quod pauper non habet ligatum illud jus, neque ex institutione Ecclesiæ, neque ex institutione donantium; at Religio habet utroque modo ligatum jus suum, ut diximus. Exinde ad Confirm. conc. maj. neg. min. ad prob. dist. maj. posset communitas de illo tanquam de proprio disponere, si à legitima potestate solvatur vinculum, quo jus suum ligatum est, conc. si non tollatur, nego maj. & distincta pariter min. neg. conseq. ergo cum jus illud sit ligatum, ne Religio ea bona expendat, nisi juxta facultatem, quam habet expeditam, & respicientem bonum communitatis, non verò per contractus ratione illius vinculi initos, exinde non potest communitas pro libito suo ea bona expendere nisi casu, quo vinculum illud legitime auferetur, ut de majoratibus diximus num. 284.

502. Objicies contra 2. assertionem: solemnitas voti Religiosi paupertatis est ab Ecclesia indispensable, & annexa essentialiter statui Religioso; ergo non provenit ab instituto Ecclesiæ, sed ab ipsa natura voti solemnitis ea incapacitas domini proprietatis. Probatur ant. ex D. Thoma 2. 2. q. 18. art. 2. ubi ait: Est autem debitum statui Religionis essentialia continentia; & ideo in voto solemnificato per professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari; ergo idem dicendum quoad dominium proprietatis. Confirm. 1. ex 2. Extra. de statu Monachorum in fine. *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis adeo annexa est Religioni Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere*; ergo &c. Confirm. 2. non potest Pontifex facere, ut id, quod semel consecratum est, non sit consecratum &c. quod calix consecratus destinatus esse consecratus, si maneat integer, vel quod ille, qui est Sacerdos, non sit Sacerdos; atqui Religiosus per votum solemnem paupertatis consecravit Domino facultatem suam ad habendum jus circa temporalia; ergo non potest in hoc dispensare summus Pontifex, ac proinde ea incapacitas non provenit ab institutione Ecclesiæ, sed ab essentia voti paupertatis.

503. Resp. neg. ant. ad probat. conc. ant. neg. consequentiam; quia Ecclesia aliquando in voto solenni dispensavit; dispensavit enim olim Romanus Pontifex cum Rege Arragoni, ut habet Petrus de Palude dist. 38. & cum Constantia Filia Reges uxore Henrici VI. quæ erat Sanctimonialis Panormi, & jam tunc quinquaginta, ut historia tradunt, quæ dispensata est à Cælestino 3. & ex eo conjugio genuit Fridericum II. nec præsumendum est, eos Pontifices

fecisse, quod non poterant; unde dispensare quoque possent circa ejusmodi dominium proprietatis. Ad primam Confirmationem conc. antec. neg. consequent. quia per *ly non possit* intelligendum est, regulariter non congruit, sic habet quædam glossa ad istam Decretalem his verbis; alii dicunt, quod potest dispensare propter plenitudinem potestatis, quod Monachus habeat proprium, quoniam potest auferre substantiam rei, arg. C. de rei uxor. act. l. 1. in princ. & de nihilo potest aliquid facere. Quare si non est contra auctoritatem decretalem, ut *ly non possit* exponatur per *ly non congruit*, nec censendum est contra auctoritatem D. Thomæ illum eodem modo explicare.

Ad 2. Confirmationem dist. maj. si consecratum sit aliqua specie consecrationis non subjectæ quoad perseverantiam statuto Ecclesiastico, conc. subjectæ statuto Ecclesiastico quoad perseverantiam, nego maj. & dist. similiter min. nego conseq. Ratio est, quia Deo consecrata sunt in quadruplici differentia, ut constat ex dictis, ita ut aliqua ex illis non maneat quoad perseverantiam subjectæ statuto Ecclesiastico, & hujusmodi generis sunt yasa sacra, dum integra perseverant, & multò magis Sacerdos utpote consecratus per characterem indelebilem in anima Christiana, non verò alia.

Objicies 3. contra 3. assertionem: servitus, qua unus homo constituitur sub dominio proprietatis alterius, est contra jus naturæ; ergo est illicita. Probatur ant. unusquisque hominum jure naturæ est liber, & non servus; ergo &c. Resp. neg. ant. ad prob. dist. antec. est liber absolute, & non servus absolute, nego, est liber, & non servus, si non adveniat iustus titulus ad servitutem, conc. ant. & nego conseq. ratio est, quia libertas, quæ congruit homini jure naturæ, non congruit illi jure naturæ simpliciter sumpto, & indispensabile, sed jure naturæ secundum quid, ac proinde dispensabili, & mutabili pro circumstantiis, in quibus aliter decernat legitimus Superior, cui jus illud secundum quid subjectum est, vel cui facultas ad cessionem concessa est; cum autem in circumstantiis, in quibus mors in servitutem commutatur, jure gentium reverà sit subjectum illud jus secundum quid tali juri gentium, non sit tunc contra jus naturæ, sed licitè statuitur ea servitus, & quidem si homo ipse potest se ipsum vendere, quomodo non poterit id fieri in circumstantiis assignatis ex jure gentium.

Objicies 4. contra 4. assertionem: servitus talis est, qualis introducta est per veras leges; atqui leges, per quas introducta est, præscribunt, quod servi nullo rerum dominio gaudeant, & quidquid acquirunt, Domino acquirunt, ut habetur expressè institut. *Per quas personas nobis acquiritur S. item vobis.* ubi dicitur.

dicitur: ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest; unde dicitur, quod Dominus auferens servo res, quas ipse concesserit, quamvis inhumaniter, & infideliter id faciat, sine iusta causa, non tamen facit contra iustitiam; quia jura, quæ servum subiciunt Domino, multo magis subiciunt Domino quascunque res servus habet; ergo nullius domini proprietatis circa bona temporalia servus est capax. Resp. dist. maj. per veras leges modo, quo de facto sunt in viridi observantia ex legitima consuetudine, conc. modo, quo jam non sunt in viridi observantia ex legitima consuetudine, neg. maj. & dist. sic minori nego conseq. Ratio est, quia cum illæ leges utpote jure humano institutæ potuissent legitima consuetudine moderari, & de facto mitigatæ sunt, non aliter de facto ex illis inferenda est ratio servitutis, & incapacitatis servi ad acquirendum dominium proprietatis, nisi juxta præsentem mitigationem ipsarum, cum autem juxta præsentem mitigationem in pluribus casibus supra assignatis servus possit dominium proprietatis acquirere, non potest dici omnino incapax domini proprietatis, unde ea jura intelligenda sunt de antiquo rigore, ad cuius mitigationem viam aperuit. *l. cit. ff. de Judio. supra cit.* cum det servis actionem contra Dominos, ut se redimant suis nummis. Quare possit servus uti occulta compensatione, dum alia via ad restitutionem non adesset, si Dominus res suas auferret.

SECTIO III.

De Filiis, & Uxoribus.

Suppono 1. non posse Filios de re aliqua valide disponere absque Patris consensu, si propria filii non sint; unde cum quadruplex sit peculii genus, quod filiifamilias habere possunt, opus est ea in præsentem declarare, ut resolvamus, quod peculii genus pertineat, quod non pertineat ad filiosfamil. 1. peculii genus dicitur castrense, quod scilicet in militia, vel occasione militiae partum est, ut stipendia militum, aliorumque, qui castra sequuntur; prædæ ex hostibus donativæ Ducum, & Comilitonum vestimenta, & legata occasione militiae mobilia à parentibus, vel ab aliis data eunti ad militiam. Denique omnia lucra, quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proveniunt.

Peculium quasi castrense dicitur omne id, quod ex Beneficio Ecclesiastico acquiritur, imò quicquid acquiritur post Clericatum, nisi aliàs esset adventitium, ut expressè habetur auth. *Presbyteros C. de Episcopis, vel Clericis*; Item quicquid acquiritur officio non mechanico, ut Judicis, Tabellionis, vel professione alicujus artis liberalis, & quod datur intuitu talis functionis, ut libri, qui dantur à Parente, vel alio

ei, qui profiteretur artem liberalem; & quod datur liberalitate Principis; denique quod ab aliquo datur filiofamilias, & sit tanquam castrense. Hæc autem bona ideo vocantur quasi castrensia, quia habent privilegia Castrensium, etsi talia verè non sint, quod privilegium extenditur ad Clericos in auth. cit. quia sunt milites spirituales.

Peculium adventitium dicitur illud, quod non provenit à Parente, respectu cuius dicitur adventitium, neque ejus causa, vel intuitu principaliter datur, sed successione, vel donatione alio intuitu facta, vel industria, vel foruitur, ita ut non sit castrense, vel quasi, ut si inveniat thesaurum, si lucretur negotiando ex pecunia furtiva, aut mutuo accepta; hoc enim lucrum est peculium adventitium; pariter si in domo paterna aliquid extra ordinem lucretur præstitis ordinatis operibus, ad quæ tenetur, si plus lucretur, quam consumit, & insinuet se cupere lucrum; nam si non insinuet, censetur id concedere amori Parenti. Mortua matre ante Patrem bona materna sunt adventitia filio respectu Patris. Si Pater præmoritur, bona paterna sunt adventitia filio respectu matris.

Peculium profectitium est, quod provenit à Parente, vel quod maxime ejus causa datur, nec est castrense, aut quasi, ut sunt ea, quæ conceduntur Filiis, ut administrant, & quæ dantur filio ab aliis ob amicitiam, vel obsequium Parentum, secus si ob amicitiam, vel obsequium filii, nam tunc si non sunt castrensia, vel quasi, erunt adventitia. Circa ea autem bona non quærimus, an possit habere dominium, & jus proprietatis filius jam emancipatus; certum est enim, filios emancipatos non minus esse capaces domini, quam Parentes, sed questio procedit de filiisfamil. adhuc sub patria potestate existentibus.

Suppono secundò, patriam potestatem esse jus quoddam, quod in filios, & eorum bona competit Patri, ut tali, ex l. *quidem Romanorum* potius, quam naturali, aut divina, ac proinde abrogabili per consuetudinem, vel leges municipales; competit autem patria potestas non matri, sed patri, vel ascendentibus in linea paterna; unde Avus habet illam in suos filios, quòd si Avus sit sub potestate Proavi, nemine habet sub patria potestate, sed omnes sunt sub Proavo, aut sub alio ascendenti anteriori superstite; nunc autè in plerisque regnis literatus filius eximitur à patria potestate, per matrimonium cum benedictione nuptiali, item apud omnes per vota religiosa filii, vel patris, item per assumptionem filii ad Episcopatum; aliqui censent, quòd etiam per assumptionem ad Sacerdotium, quamvis alii negent; Item per alias dignitates à jure assignatas, de quibus videri potest Lugo disp. 5. sect. 1. & latè Molina Tom. 1. disp. 227. & Sanchez lib. 1. conf. 1. à dub. 11. item per emancipationem, qua

509.

510.

511.